

omnes baptizantes in necessitate, quamvis sit Pater, in tantum ut privetur jure petendi debitum a sua conjuge, nisi quando (et haec est etiam limitatio Rubricae, quae est supra omnes doctores) alius non reperiatur, qui possit Infantem baptizare, Sanctarel. *Var. resol. quaest. 72.* Notandum porro quod haec cognatio spiritualis non impedit usum Matrimonii tunc quando filius est legitimus. Si vero ex fornicatione talis filius susceptus sit, tunc Pater non potest Matrimonium contrahere cum ipsius Matre, Navar. *l. c. vers. Interrogatus*, Bellett. *l. cit.* et ratio in promptu est, quia illegitimus filius natus est, nondum contractu Matrimonio, ideo cum ante Matrimonium adesset hoc impedimentum, necessitas Baptizandi non excusat, cum jam Pater, et Mater inter se soluti sint tunc temporis.

DE
BAPTIZANDIS PARVULIS

TITULUS SEPTIMUS.

SUMMARIUM.

- 1 Parentes non videntur obligari ad baptizandos filios infantes.
- 2 Possunt tamen obligari ex consuetudine.
- 3 Quare qui sine justa causa differunt, peccant.
- 4 Infantibus recenter natis facile imminet periculum mortis.
- 5 S. Carolus statuit ante nonum diem ministrandum Baptismum.
- 6 Infantes debent duci ad Ecclesiam pro Baptismo sine ornatu.
- 7 Tacita tolerantia permittit pompam in infantibus Principum.
- 8 Usus Ferrariensis Civitatis in deferendis pueris ad Baptismum.
- 9 Infans Baptizatus privatim in casu necessitatis, cessante necessitate, debet deferri ad Ecclesiam, ut suppleantur Ritus.
- 10 Ritus, et Caeremoniae influunt in bonum Creaturae.
- 11 Ablutio facta in utero matris clauso non valet.
- 12 Variæ opiniones circa Baptismum in utero.
- 13 Non Baptizatur quis in utero clausus.
- 14 Baptismus sic collatus saltem est dubius, atque ideo repetendus.
- 15 Potest quis Baptizari in utero clauso sub conditione.
- 16 Caput est nobilior pars hominis.
- 17 Per caput demonstratur forma essentialis hominis.
- 18 Quaecumque partes corporis humani capaces sunt Baptismi.
- 19 Umbilicus baptizari potest, quia est pars hominis; similiter et capilli.
- 20 Caput absolute baptizatur, caetera membra sub conditione.
- 21 Baptizatus sub conditione est sepeliendus in loco sacro.
- 22 Partus Caesareus caute tentandus est.
- 23 Nunquam vero à Clerico.
- 24 Foetus extractus repertus mortuus non baptizatur.
- 25 Si foetus una cum matre moriatur in utero, et non extrahatur, sepeliri debet una cum matre.
- 26 Foetus mortuus sequitur ventrem quoad sepulturam.
- 27 Cum expositis tutius agitur si administretur Baptismus.
- 28 Schedis collo expositorum appensis non semper credendum est.
- 29 Magna cautio adhibenda in baptizandis monstris.
- 30 Sermo est de monstris, ex persona humana natis.
- 31 Ordinario loci spectat pronunciare quid agendum de monstris.
- 32 Humana species debet apparere in capite.

baptizetur: et tunc si natus vixerit, erit sub conditione baptizandus, eo modo quo supra dictum est: *Si non es baptizatus, ego te baptizo in nomine Patris, etc.* Si vero ita baptizatus, deinde mortuus prodierit ex utero, debet in loco sacro sepeliri.

11 Cum Uterus Matris clausus sit, ablutio non potest haberi nisi mediata; sed mediata ablutio, non est ablutio corporis Infantis; ergo ablutio hoc pacto facta, ad nihilum valet: Itaque Textus praesens clare dicit; *Nemo in utero Matris clausus baptizari debet.*

12 13 14 15 Cum Rituale praescribat Infantem in Utero Matris clausum baptizandum non esse, dubium insurrexit non solum apud recentes, sed etiam antiquos, utrum infans in Utero existens baptizari queat quando aliquo modo, etiam artificiali, aqua immediate abluatur, vel aspergi potest. Decisione affirmativa resolvunt hanc quaestionem nonnulli etiam perantiqui Doctores, quos congerit et sequitur Iacobus Pignatellus Tom. 1. *Consult.* 153. asserens Romae auctoritate Eminentiss. Cardinalis Vicarii, hanc sententiam ad praxim deductam fuisse, quia personae in hac re peritissimae asseverabant, posse infantem, etiam in utero existentem, aliquando immediate aqua aspergi. Novissime P. Gualdus C. R. in suo Oposculo Patavii impresso 1710. et inscripto: *Baptisma puerorum in utero existentium*: eandem sententiam fusissime, et erudite discussit, propugnavitque. Verum contra eam insurrexit P. Martinus Orelli C. R. S. Pauli, et Doctissimus Jatrophysicus Jo. Dominicus Benetti Ferrariensis, quem honoris causa nomen, qui unice valere dixit baptismum, tunc quando uterus sit apertus; non enim ait, est baptismus si veste, vel corio, seu utre inclusus quis baptizetur, ita ut aqua nihil corporis tangat, sed vestem, aut ferream arcam, vel matris ventrem, intra quem esset infans inclusus. Sed cum recensitae sententiae Auctores sustineant, tunc posse valere baptismum, quando infans potest aqua immediate tangi; hinc rejici nequit illa sententia, admissa tali hypothese; quia ita exposita non opponitur Rituali. Hic praeterire non debeo. Aversam *quaes.* 64. *sect.* 2. velle Baptismum esse validum, dum baptizatur infans inclusus in secundina, dummodo membrana illa ita subtilis, et porosa sit, ut aqua ad ipsum corpus possit permeare, et circa illud fluere, quod approbat Gobat *d. tr.* 2. *nu.* 58. *et* 64. extendens hoc etiam ad umbilici ablationem: nihilominus communis est opinio, Baptismum esse dubium, et sic sub conditione repetendum, si infans vivus nascatur. Insuper dicit, non esse capacem Baptismi hominem non natum, et adhuc in ute-

ro existentem, ex doctrina variorum DD. ibi relatorum. Sed cum Em. Lauraea concludit, posse baptizari sub conditione. De facto haec conditio non nisi prodesse potest Infantulo innocenti, quare ergo deneganda est, cum nocere non possit? Videatur Opusculum meum italice inscriptum *La Mamma Istruita a battezzare gli Infanti* cap. IX.

16 17 *Caput emiserit, etc.* Caput hominis nobilior pars est, quae exceptionem non patitur in hoc Sacramento; atque ideo Baptismus super hanc partem sit absolute, et sine haesitatione, non sub conditione; nec iterari debet eo pacto quo iterandus est, si abluat alia membra. Dignitas capitis humani talis est, ut per illud demonstretur forma essentialis hominis: potest enim dari, et vivere homo sine aliquo aliorum membrorum, nusquam vero sine capite. Rationabiliter ergo habet haec pars praelationem super alias, cum facies sit pars hominis praecipua. Templum rationis, simulacrum Animae, gloria corporis, sedes honoris, et pudoris. Totus homo in vultu est, Arist. *relat. a Sarnell. T.* 10 *ep.* 19. Henric. Bohic. *in c. majores, de Bapt.* Boer. *tr. de auth. magni cons.*, qui ait, membra a capite fomentum, decorem, et formam recipere. Plura ad laudem capitis humani videri possunt apud Angel. Arctin, et Ludov. Bolognet, *in addit. in suo tract. malef. vers. in faciem*: Fulchre et de facie tractavit Felin. post Panorm. *in c. cum non liceat, in princ. de praescript.* Fagnan. 1. *decret. c. perniciosam, de off. ordinarii.* Mastrius *in 4. sent. disp.* 2. *q.* 2. *art.* 1. *n.* 45. in terminis terminantibus.

18 19 Nihilominus quaecumque aliae partes corporis humani capaces sunt Baptismi, dummodo sint partes vivae, et continuae, non contiguae. Umbilicus, et placenta possunt abluatur, quia sunt partes infanti continuae juxta Philosophicam definitionem continui, quam optime explicat Jo. a S. Thoma esse unum, et idem: quod non valet de utero, qui praestat dumtaxat locum, scilicet sarcinam, in qua continetur infans. Umbilicus autem continuatur cum ipso foetu, et similiter placenta, ut notat Benett. *d. n.* 25. Insuper capilli possunt abluatur sicut et pes, aut pars pedis, aut manus, quia sunt foetui uniti, Felic. Potest. *t.* 1, *p.* 4. *num.* 2975. Clericat. *de Bapt. decis.* 29. *n.* 9. addens, quod capilli nutriuntur per subtilissimas venas.

20 Unicuique caput hominis absolute baptizatur: caetera membra baptizanda sunt sub conditione, quia in illis casibus, Baptismum fuisse dubium, omnes DD. affirmant, inter quos Em. de Lugo, *in Resp. Moral. l.* 5. *t.* 3 *vers. eademque ratio*, et novissime Mastrius *in 4. Sent. d.* 2. *num.* 47. et alii allegat, a Clericat. *d. dec.* 9. *in fine.*

21 Dicit insuper Textus, Baptizatos sub conditione, esse in loco Sacro sepeliendos, eo quia in dubio, favorabilior pars est
Com.—P. 10.

amplectenda, seu dubia in benigniorem partem resolvenda, ut docent communiter DD. allegati a Clericat. *dec. 75. num. 22. de Extrem. Unct.* In nostro casu, licet Baptismus fuerit dubius, tamquam collatus in membro, quod non sit caput, attamen ratio stat pro Baptizato, qui non debet defraudari bono spirituali a sepultura sibi proveniente; ad quam Sacram sepulturam jus coepit habere tunc quando dignus factus fuit, ut ablueretur Aqua Baptismali: aliter ad nihilum valeret illa ablutio, et fuisset frustranea: immo clare declararetur, Hominem nullo modo baptizatum fuisse, si post talem Baptismum moriens non fieret dignus Ecclesiastica sepultura.

§. III. Si Mater praegnans mortua fuerit, foetus quamprimum caute extrahatur, ac si vivus fuerit, baptizetur; si fuerit mortuus, et baptizari non potuerit, in loco sacro sepeliri non debet. Infantes expositi, et inventi, si, re diligenter investigata, de eorum baptismo non constat, sub conditione baptizentur.

22 Partus Caesareus caute tentandus est, nec nisi cum concilio peritissimi Physici faciendus, qui Physicus aliquod temporis spatium praestolabitur, et alia experimenta tentabit, ad se certiorandum de matris morte. Ista mora quae aliquantula esse debet, facit, ut foetus in utero inclusus, signa praebeat vitae.

23 Advertendum est hic non esse Sacerdotis, nec Clerici incisionem uteri praecipere: facile enim evenire potest, ut viva mater interficiatur (quod olim evenisse Andreae Vessalio Anatomico peritissimo narrat M. de Thou, et Antonius Teissier: *Elog. Hom. Ecavan. T. I.*) et sic in irregularitatem cadant. Munus hoc a Laicis in arte peritis exequendum est, non minus quam imponendum. Dato itaque casu, quod foetus in utero inveniat vivus, tunc baptizandus est. Haec vero Vita non est manifestanda nisi per aliquem, etsi levem motum, vel palpitationem, licet nullus audiatur vagitus.

24 25 26 *In loco Sacro sepeliri, etc.* Locus iste intelligi debet hoc pacto. Si foetus extractus ab utero repertus sit mortuus, tunc non baptizandus est, ideoque neque sepeliendus in loco Sacro. Sed si foetus una cum Matre moriatur in utero, nec extrahatur ab utero, tunc sepeliri potest una cum Matre in loco Sacro, Bordon, *Var. resol. p. 2. resol. 89. num. 33.* Passerint. *de Pollat. Ecclesia. disp. 8. cap. 21.* quia in tali casu Ecclesiastica sepultura conceditur non principaliter ipsi foetui non baptizato, sed Matri, et consequenter ei tanquam

membro ipsius Matris, in cujus visceribus adhuc retinetur, Clericat. *de Sacr. in gener. dec. 9. num. 3.* Quod si de facto Puer extractus, et non baptizatus, seu repertus mortuus, sepeliretur in Ecclesia cum Matre, multi volunt eandem Ecclesiam remanere pollutam: attamen contrarium tenent gravissimi Authores; eo quia ista prohibitio cadit in pueris non baptizatis, ortis ex Patre, et Matre infidelibus. Quae regula militat etiam de foetu mortuo non extracto, quia tunc foetus sequitur ventrem suum, cui adhuc adhaeret. Sed venter est fidelis, ergo more Fidelium sepelliendus est etiam Foetus, Clericat. *Ibidem.*

27 Modo de expositis loquendo: tutius agitur si cuicumque exposito, licet scheda, seu testimonio in scriptis de baptismo ei collato, administretur Baptismus, quia hujusmodi Schedis, nisi sint omni exceptione supereminentes, fides de raro praestatur. Mos iste, et quidem laudabilis, in Ecclesia Ferrariensi servatur, ad quam quicumque expositus deferatur, Sacro Baptismo monitur a Parocho, sed sub conditione; atque ita vere dicitur baptizatus Infans.

§. IV. In Monstris vero baptizandis, si casus eveniat, magna cautio adhibenda est, de quo, si opus fuerit, Ordinarius loci, vel alii periti consulantur, nisi mortis periculum imminet.

28 29 30 Amplissime doctrinam hanc de monstris baptizandis, vel non baptizandis tractat Clericat. *de Bapt. dec. 46.* ad quem Doctorem Parochos meos erudiendos remitto. Nonnulla tamen ad hujus Textus explicationem facientia superaddam. Magna cautio itaque in istis casibus adhibenda est, et quae Textus circa monstra ait, intelligenda sunt de monstris a Mulieribus puerperis editis, non a Bestiis, licet aliquid habeant humani.

31 In hoc casu, Episcopus, seu Vicarius si adest in loco, consulendus est: si vero non adsit, et periculum sit in mora, dignior loci persona adeatur, vel peritor: Horum cura erit, cuiusnam naturae monstrum sit dignoscere, et super hoc pronunciare, an illi Baptismus conferri possit, quando tempus id ferat: nam si periculum mortis immineret, tunc Baptismus sub conditione: *Si Homo es*, laudabiliter illi conferri potest: tutior enim pars est amplexanda, et conditio nihil ponit in esse.

§. V. Monstrum, quod humanam speciem non praesferat, baptizari non debet: de quo si dubium fuerit, baptizetur sub hac conditione: *Si tu es homo, ego te baptizo, etc.*

32 Ista humana species praecipue apparere debet in capite: Verum si totum corpus humanum esset, et caput Belluinum, tunc rationabiliter denegandus est Baptismus, quia cum caput sit sedes rationis, et intellectus, censendum est accidentaliter caetera membra humana esse; et quamvis numero potiora sint, tamen non sunt nobiliora: nec valet in hoc casu Regula Juris: minor pars sequitur majorem. Si vero per medietatem tantum, caput sit Belluinum, et medietatem alteram habeat humanam, quae respondeat caeteris membris pariter humanis, tunc in gratiam hujus medietatis humanae conferri illi potest baptismus, quia, ut diximus cum Aristotele: *Totus homo in vultu est.*

33 De facto, annis elapsis, e quadam nobili Matrona Ferrariensi ortum habuit Puella quaedam, quae medium os habebat Vitulinum, et ita succrevit usque ad perfectam aetatem, habens Bovinam speciem in oculo, in nare, in pilis (quid plura?) in cornu, in lingua, et voce boatu simili. Quae omnia (cum velo involvenda prudenter statutum fuisset, et Puella inter sanctimoniales, usque ad mortem permanserit) paucis nota fuere. Haec baptizata fuit, quia partem humani capitis habebat; et cum in capite potior Animae pars vivat, corpusque juxta sententiam Platonis in gratiam capitis constructum sit, judicatum fuit, illam humani capitis medietatem sufficientem fore ad suscipiendum Baptismum.

34 Si vero alia membra habeat partim humana, partim monstruosa, et natura non humana superet naturam humanam, ut videre est in frequentissimis monstris ab Ulysse Aldrovando, et Fortunio Liceto *lib. de Monstris* allatis, tunc tutior pars est eligenda, et ne Creatura, licet monstruosa, detrimentum patiatur, si Animal rationale sit, potest baptizari, adhibita forma conditionata: *Si tu es homo, ego te baptizo, etc.*

§. VI. Illud vero, de quo dubium est, una ne, aut plures sint personae, non baptizetur, donec id discernatur, discerni autem potest, si habeat unum, vel plura capita: unum, vel plura pectora; tunc enim totidem erunt corda, et animae, hominesque distincti, et eo casu singuli seorsum sunt baptizandi, unicuique dicendo: *Ego te baptizo, etc.* Si vero periculum mortis immineat, tempusque non

suppetat, ut singuli separatim baptizentur, poterit Minister singulorum capitibus Aquam infundens, omnes simul baptizare, dicendo: *Ego vos baptizo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.* Quam tamen formam in iis solum, et in aliis similibus mortis periculis, ad plures simul baptizandos, et ubi tempus non patitur, ut singuli separatim baptizentur, alias nunquam, licet adhibere.

35 36 Ocularis inspectio diligenter facta, una illa est, quae in hoc casu iudex esse valeat; nec circa id assignari potest regula universalis, firma, et inconcussa: Multifaria est enim natura monstrorum. Plura capita indicant plures Animas; plura pectora signant plura corda: sed cum haec perfecta dici nequeant, ita nec perfectus in ulla parte homo dici potest. In hoc casu monstruosa quoque forma, (ut ita dicam) utendum est, dicendo: *Ego vos baptizo, etc.*

37 Quod juvat in similibus casibus est, de raro vitalia esse hujusmodi monstra bifaria, vel trifaria, atque ideo tutissime posse Ministros, vel quoscumque baptizantes, uti praescripta forma, limitata in periculo mortis.

§. VII. Quando vero non est certum, in Monstro esse duas personas, vel quia duo capita, et duo pectora non habet bene distincta, tunc debet primum unus absolute baptizari, et postea alter sub conditione, hoc modo: *Si non es baptizatus, ego te baptizo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.*

38 Si re bene, et diligenter perspecta, adhuc dubium sit an unum, vel duo sint corpora in uno subjecto, utpote quia duo capita non habeat, nec pectora duo bene distincta, illud monstrum de quo agitur: Unum corpus intentione certa, neque vaga simpliciter baptizetur, alterum vero, seu altera baptizentur sub conditione: *Si non es baptizatus, etc.* Ita docuit S. Carolus in *Instruct. Baptismi, Actorum Parte 4. T. 1. pag. nihi 411.* Alia plura de monstris baptizandis habebis a Clericis. *de Baptismo, dec, 51. n. 4. et 5.* quibus nihil habeo, quod addam.

- 33 Historia mulieris Ferrarien. habentis medietatem capitis Vitulini.
- 34 Si monstra sint dubia, possunt baptizari conditionate.
- 35 Multifaria est natura monstrorum.
- 36 Si monstra, plura capita, et plura pectora habeant, monstrum baptizandum est sub forma *Ego vos Baptizo*.
- 37 Monstra bifaria de raro vitalia.
- 38 In bisariis monstris incertis, unum intentione certa, alterum baptizandum est conditionate.

1 2 Advertit Barbosa *de Offic. et pot. Paroc. cap. 18. num. 14.* quod extra casum necessitatis, et stando solum Juri Divino, non videntur obligari Parentes ad baptizandos filios tempore infantiae, quod videtur olim fuisse in consuetudine aliquibus in locis: at vero ex consuetudine Ecclesiae, et praecepto ejus, recte possunt Parentes ad baptizandos Infantes suos ante adultam aetatem obligari, cum res sit justa, et bono communi expediens, et ipsi subditi jurisdictioni Ecclesiae: unde seclusa magna causa, non potest haec consuetudo violari. Ita Soar *T. 3. de Sac. quaest. 71. disp. 31. sect. 1. vers. 3.* Nihilominus Textus noster satis discrete loquitur dum non praecipit, sed hortatur, prout sequitur.

§. I. Opportune Parochus hortetur eos, ad quos ea cura pertinet, ut natos infantes, sive baptizandos, sive baptizatos quamprimum fieri poterit, et qua decet Christiana modestia, sine pompae vanitate deferant ad Ecclesiam, ne illis Sacramentum tantopere necessarium nimium differatur, cum periculo salutis, et ut iis, qui ex necessitate, privatim baptizati sunt, consuetae caeremoniae, ritusque supleantur, omissa forma, et ablutione.

3 4 5 Parentes igitur Christiani, qui sine gravi causa Filiorum infantium Baptismum diu defferunt, peccant mortaliter, Fulien. *d. c. 10. resol. 3.* Ex vi enim praecepti divini positivi tenentur dare operam, ut Infantes baptizentur saltem quando instat periculum mortis. Sed in Infantulis recenter natis, hoc periculum de facili imminere potest ex doctrina Physicorum communi, ergo danda est opera, ut cito baptizentur. Quapropter S. Carolus, *Conc. prov. 1.* statuit, ante nonum diem ad suscipiendum Baptismum, Infantes ad Ecclesiam deferendos esse. Vide plura apud Coninck *q. 68. art. 3.*

6 Idem sanctus Mediolanensis Antistes in *Act. 4.* monet quod Infantes, sine ullo pompae ornatu, sed simplici amictu involuti ad Ecclesiam, seu ad ostium Ecclesiae deferantur. Va-

nitas pompae auferenda est, quia cum omni humilitate accedere debemus ad primum, et maximum divinae Misericordiae tribunal. Si verificari debet, quod infans *Abrenuntiet Sata-nae, et pompis ejus*, opus est ut incedat, et se Templo offerat in humilitate, et modestia.

7 Verum quomodo reprimenda, et fraenanda sit haec pompa in Viris principibus. et nobilibus praecipue tunc, quando expectatam diu masculinam prolem sibi a Deo elargitam videant, penitus ignoro. Certe tacitam approbationem hujusmodi pompis dari, et concedi ab Episcopis seu Cardinalibus videmus, cum et ipsi quandoque Ministri, et susceptores sint. Intelligentus igitur videtur hic Textus, quod loquatur de pompis illicitis, nempe choreis, saltationibus, et similibus, quae ethnicum morem sapiunt.

8 Modestissimus usus est in hac Civitate Ferrariae quem reticere nequeo. Infans Rheda ad Ecclesiam deferitur, obstertrice, et nonnullis foeminis de familia puerperae concomitantibus, et praecipue virginibus. Si vero Rheda de facili haberi non possit: Infans inter ulnas Puellae Virginis deferitur, velo serico, vel lineo varicolori coopertus juxta consuetudinem, vel facultates parentum Infantis. In quo casu obstetrices aemulatione pugnant: propria enim, et ditiori, seu pretiosiori suppellectile utuntur in cooperiendis Infantibus Pauperum, tempore quo ad Ecclesiam deferuntur.

9 10 *Consuetae caeremoniae.* Licet, qui privatim baptizatus est in casu necessitatis, valide, et vere baptizatus sit, atamen cessante hac necessitate deferendus est Infans ad Ecclesiam, ut suppleatur Ritui, ac Caeremoniis ab Ecclesia statutis, quae quamvis de necessitate Sacramenti non sint, nihilominus cum tempus id permittat, impleri debent: habent enim propriam, et peculiarem significationem, et influunt in bonum Creaturae baptizatae: Nam etsi Sacramenta non sint, sunt tamen Sacramentalia, et suos habent effectus, circa quos vide Coninck *de Sac. q. 71. art. 1. dub. 7.* et operantur in Baptizandis tamquam effectus a causa. Eosdem effectus enumerat D. Carolus *Act. p. 4. Instruct. Bapt. et Clericat. de Bap. dec. 45.* Sed de his fusius dicemus suo loco, quando explicabimus ordinem supplendi omissa super Baptizatum.

§. II. Nemo in utero Matris clausus baptizari debet. Sed si infans caput emiserit, et periculum mortis imminet, baptizetur in capite; nec postea, si vivus evaserit, erit iterum baptizandus. At si aliud membrum emiserit, quod vitalem indicet motum, in illo, si periculum pendeat,